Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38295
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Unde et consequentibus deus paruulum eum uocat et deliciis affluentem hoc autem dicit prop
ter diuitiarum magnitudinem et terrae fertilitatem quae ephraimitibus hucusque luxo
riat si filius honorabilis siue dilectus mihi ephraim. si puer delicatus quia ex quo locutus
sum de eo siue uerba mea in eo recordabor eius adhuc idcirco conturbata sunt uiscera
mea super eo miserans miserebor eius ait dominus. paenitentiam agente ephraim et dicente.
in principio erudisti me et eruditus sum quasi iuuencus indomitus. et in fine quoniam rq
sustinui obprobrium adulescentiae meae respondit dominus. et plena ad sententiae Con
uersum talis sustentat oraculo, filius dilectus mihi ephraim quem in tantum dilexi
ab initio ut fratri praeferrem manasse filius honorabilis qui contra naturae ordinem
honorem primogeniti domini dignatione suscepit puer delicatus de quo scribit. filii
ephraim intendentes et mittentes arcus conuersi sunt in die belli. Contra quem
et ad quem totus oseae prophetae liber est. cui benedixit iacob. delicias autem in hoc loco
iuxta illud accipiemus quod in psalmo dicitur. Delectare in domino et dabit tibi peti
tiones cordis tui. Pro quo in greco et in hebraeico habet deliciis afflue unde et pa
radisus in aedem deliciarum paradisus appellatur. quia in quid fuerunt uerba
mea in eo recordare recordationem memorero eius adhuc ne putaret et ut gratui
ta benedictio et ex indulgentia potius largioris quam merito eius in quem conferebatur
esse conlata. Ideo ait. recordabor eius quia uerba mea fuerunt in eo non in ore
eius. non in labiis sed in imo cordis affectu propter quam causam et conturbata sunt
uiscera mea super eo cui loquitur et per oseae. quid tibi faciam ephraim. quid tibi
faciam israhel. quasi adamantem ponam te. et quasi seboim. conuersum est in me.
Cor meum conturbata sunt uiscera mea non faciam furorem irae meae. et non dis
perdam ephraim miserans miserebor eius ait dominus. fuerunt quidem sermones mei
in eo et omnia mandata mea audio suscepit animo et in suo corde seruauit. sed
tamen miserans miserebor eius, ait dominus ut ostenderet omnem hominum iustitiam
indigere misericordia dei.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines dirige cor tuum in uiam directam in qua
ambulasti. reuertere uirgo israhel. reuertere ad ciuitates tuas istas usque quo deliciis
dissolueris filia uaga quia creauit dominus nouum super terram femina circumdabit
uirum. LXX statue tibi speculatores fac poenam dirige cor tuum in humeros tuos
uia in qua ambulasti. reuertere uirgo israhel reuertere in ciuitates tuas. lugens